



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXV. Vtrum hominibus etiam iustis sit necessaria noua gratia, ad
exequenda media necessaria vel vtilia ad æternam salutem
consequendam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

3. *Conclusio*
Ad recipien-
dum digne
Sacramen-
tum necessa-
ria est gratia
Hæc gratia
non eodem
modo in
omnibus
adatur.

Durand.
reijciunt.

14.
Habitualis
gratia per se
petitur ad
Sacramenta
Quorum di-
gno recipien-
da.
Non tamen
requiritur
gratia ac-
tualis.

ptum digne recipiendi Sacramentum necessariam esse gratiam. Hoc certum est, quia sine gratia non recipitur digne Sacramentum. Hæc autem gratia non eadem, neque eodem modo in omnibus necessaria est. In Baptismo enim, & poenitentia necessaria est gratia auxiliaria, qua homo se digne disponat ad recipiendum Sacramentum. Gratia vero habitualis non prærequiritur, quia non tenetur quis accedere contritus ad illa Sacramenta. Quia vero tenetur accedere sufficienter dispositus, ideo non impletur tale præceptum sine habituali gratia, saltem consequente ordine naturæ receptionem Sacramenti. Nam licet possit cōtingere aliquem propter inuincibilem ignorantiam recipere verum Sacramentum, & non effectum eius, tunc quamuis à peccato excusetur, & à transgressionem præcepti, retamen non impletur tale præceptum, sed tantum in conscientia erronea: quod si illa vocetur observatio præcepti, fatemur illo modo posse feruari sine habituali gratia. Durand. autem in 2. d. 28. q. 3. n. 12. & q. 4. nu. 6. existimauit interueniente ignorantia inuincibili, semper hominem iustificari per Sacramentum, & ideo non dari statum medium, in quo homo excusetur à transgressionem præcepti, & gratiam non recipiat per Sacramentum. Sed hoc necessarium non est, quia potest consistere illa ignorantia cum defectu dispositionis sufficientis ad effectum Sacramenti, ut proprio loco latius dictum est.

At vero in alijs Sacramentis, quæ dicuntur viuorum, per se requiritur gratia habitualis antecedens receptionem Sacramenti, ut digne recipiatur Sacramentum, quod nunc suppono, & ideo per se non impletur tale præceptum sine tali gratia. Dico autem per se, quia per ignorantiam potest quis excusari, sicut de alijs dixi. Præter gratiam vero habitualement, non videtur gratia actualis semper, & in omni casu necessaria, quia actualis dispositio supernaturalis non est per se necessaria ad dignam susceptionem Sacramenti, nam satis est accedere sine obice, quomodo accedit, qui est in statu gratiæ, etiam si ex quadam consuetudine, sine supernaturali consideratione, sola naturali voluntate, & (ut ita dicam) materiali ad recipiendum Sacramentum accedat. Hic tamen modus imperfectissimus est, ordinari enim non acceditur ad Sacramentum sine actu fidei, & aliqua supernaturali dispositione voluntatis, & ad hoc est necessaria actualis gratia. Si vero contingat hominem ante susceptionem Sacramenti habere conscientiam peccati mortalis, tunc tenetur se disponere ad gratiam, & ideo indiget omnino auxilio gratiæ, quo se disponat, iuxta doctrinam Concilij Trident. sess. 6. & 14. ergo eodem auxilio gratiæ indiget, ut præceptum digne recipiendi Sacramentum impleat, nisi forte per ignorantiam excusetur: & tunc vel non implet præceptum, vel tantum secundum quid in ordine ad conscientiam propriam, ut iam decarauimus.

CAPVT XXV.

Utrum hominibus etiam iustis sit necessaria noua gratia ad exequenda media necessaria, vel utilia ad æternam salutem consequendam?

1.
Quæstionis
ratio.

Hanc quæstionem sub hoc titulo propono, ut multas complectar, quas de necessitate gratiæ D. Thomas in initio huius materiæ tractauit. 2. quæst. 119. per plures articulos: illas enim neque in hoc loco omnino prætermittere possumus: neque etiam omnes possunt exacte, & pro dignitate nunc discuti, & tractari, quia methodus, & ratio doctrinæ multum inuenteretur, & ideo ut notitia earum in summa habeatur, hic eas explicabimus, integram disputationem in sequentes libros remittendo, ita ut repetitio caueatur. Sit ergo in primis generalis assertio. Ad exequenda omnia, & singula media necessaria ad salu-

Assertio ge-
neralis.

tem, ut talia sunt, aliquod gratiæ auxilium est necessarium. Hæc assertio absolute sumpta certissima est, sequitur enim ex illo principio superiori libro satis demonstrato, quod liberum arbitrium nihil potest per se, & sine auxilio facere, quod ad salutem æternam consequendam conferat, iuxta verbum Christi Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Ut autem in particulari confirmetur, & qualis sit hæc gratia explicetur, aduerto, inter media, quæ ad salutem conferunt, quædam esse ad remouendum peccatum, alia ad perficiendum bonum. Et inter priora, quædam sunt contra peccata prius commissa, ut tollantur, alia contra futura, ut non committantur.

Ad media igitur remissionem peccatorum impetrantia pertinet potissimum illa quæstio, quam Doctor sanctus in art. 7. illius quæstionis tractat, an possit homo resurgere à peccato sine gratia. Idem enim est à peccato resurgere, quod veniam eius obtinere, quam D. Thomas proprie tractat de peccato mortali, nam per illud solum anima moritur spiritualiter, & ideo ab illo solo dicitur proprie resurgere. Resolutio ergo catholica in duabus assertionibus consistit. Prima est. Ad remissionem peccati obtinendam necessarium esse gratiæ auxilium. Quæ assertio solum in adultis locum habet, nam pauli non sunt capaces auxiliorum gratiæ. Et ita definitur in Trident. sess. 6. & 14. fere per totam. Ratio vero est, quia adultus non consequitur remissionem peccati sine propria dispositione: non potest autem disponi, nisi per auxilium gratiæ, ut ex eodem Concilio, & ex omnibus, quæ de necessitate gratiæ ad actus supernaturales, & pietatis dicta sunt, satis patet. Atque hæc assertio tam Pelagianos, quam Lutheranos refellit, illos, quia dicebāt, posse hominem suis viribus se ad remissionem peccatorum disponere, imo & illam mereri: hos quia negat debere hominē, imo etiam posse se ad remissionem peccatorum obtinendam etiam cum gratia Dei disponere. Contra utroque vero ex professo infra disputandum est, tractando de iustificatione, & causis iustitiæ.

Altera assertio est, ipsam remissionem peccatorum esse gratiam Dei, & per veram gratiam Dei, & iustitiam in nobis infusam fieri. Vtræque pars de fide est, sumiturque ex Paulo ad Roman. 5. & definitur in Trident. sess. 5. capit. 5. & sess. 6. & 14. & infra libr. 7. qui erit de formali effectu inhaerentis iustitiæ, & de formali causa remissionis peccatorum, ex professo pro banda est. Priorque pars est contra Pelagianos, quia licet gratiam remissionis peccatorum voce non negarent, retamen vera destruebant in illa rationem gratiæ, dum ex meritis solius liberi arbitrij conferri dicebant, ut Prolegom. 5. latius retuli ex Augustino epist. 95. & 105. & damnatur in Trident. sess. 5. can. 3. & sess. 6. capit. 1. & in alijs antiquioribus sæpe allegatis. Posterior vero pars est contra Lutheranos, qui dicunt per gratiam non dari nobis veram remissionem peccatorum. Quia cum negent remissionem peccatorum fieri per gratiam nobis inhaerentem, consequenter addunt, non fieri in nobis per gratiam, destructionem, & ablationem peccati, sed per solam non imputationem, contra quos nunc sufficit sententia Pauli ad Ephes. 1. In quo habemus remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, & cap. 4. Renouamini, &c. in iustitia & sanctitate veritatis. Et cap. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ, &c. Et ita illum errorem ex professo damnat Concilium Trident. sess. 6, ut latius in dicto libro videbimus.

Possent denique ista quæstio, & resolutio ad remissionem peccatorum venialium extendi. Sed de hoc puncto in præsentem nihil amplius dicam, quia illud ex professo tractauimus tom. 1. 3. partis disp. 4. scilicet. 11. & tom. 4. disp. 11. per totam. Veritas ergo est, peccatum veniale non remitti sine aliqua gratia. Nam vel est in homine peccatore, vel in iusto. In priori statu est cōmune, & prius, & tunc

Varia medi-
orum genera
ad salutem.

1. *Conclusio.*
Ad remis-
sionem pec-
catorum ad-
ultus non
est gratia ne-
cessaria est.
Probatu-
r ratio.

2. *Conclusio.*
Ad remis-
sionem pec-
catorum ad-
ultus non
est gratia ne-
cessaria est.
Probatu-
r ratio.

3. *Conclusio.*
Ad remis-
sionem pec-
catorum ad-
ultus non
est gratia ne-
cessaria est.
Probatu-
r ratio.

4. *Conclusio.*
Ad remis-
sionem pec-
catorum ad-
ultus non
est gratia ne-
cessaria est.
Probatu-
r ratio.

5. *Conclusio.*
Ad remis-
sionem pec-
catorum ad-
ultus non
est gratia ne-
cessaria est.
Probatu-
r ratio.

Et cum peccato mortali, sine cuius remissione remitti non potest, & ideo non remittitur sine infusione gratiæ habitualis, nec sine dispositione ad illam necessariam, quæ etiam ex gratia esse debet, imo oportet, vt talis dispositio etiam peccato veniali aliquo modo opponatur, vt ratione illius condonetur. In altero vero statu, cum peccatum veniale sit in persona gratiæ, ipsamet gratia habitualis confert ad talis peccati remissionem. Nam hæc potest fieri ex opere operantis, & tunc gratia hæc concurret per modum principij, & præterea necessarium est auxilium ad faciendum opus, ratione cuius tale peccatum remittatur. Si vero remissio fiat ex opere operato, tunc gratia necessaria est, saltem per modum dispositionis. Et ita semper est aliqua gratia necessaria ad hunc effectum. Quia etiam venialis peccati remissio ad vitam æternam confert, & quia tanta est Dei excellentia, & maiestas, vt non possit homo suis viribus etiam pro leuissima offensa satisfacere. Atque ita hæc doctrina & Scripturæ, & Patribus magis consentanea est, vt citatis locis ostendi.

Ad media, quæ præseruant ad futuris peccatis, vel ad illa non committenda iuuant, pertinent quæstiones, quas D. Thomas dicta quæst. 109. artic. 8.9. & 10. proponit. Prima est generalis, an possit homo peccatum vitare sine gratia? quam in hoc libro, & in præcedenti satis superque discussimus. Secunda est magis specialis, an homo iam iustificatus & constitutus in statu gratiæ, indigeat noua gratia ad vitandum in posterum peccata. In qua duo vt clara supponuntur, vnum est, hominem iustificatum non indigere noua gratia habituali ad vitanda peccata. Tum quia eadem virtus, quæ est principium operandi bonum, est principium ad resistendum contrariis. Tum etiam quia gratia habitualis, quæ iustis infunditur, est in suo genere perfecta, & operatiua omnis boni, vt in superioribus visum est, vnde superfluum est, aliam exigere, aliàs in infinitum procedi posset. Imo nec intentio præexistentium habituum gratiæ est necessaria ad hunc effectum, quia gratia per se, & ex vi suæ perfectionis essentialis, est potens ad operandum actus honestos, quibus resistitur peccatis, ideoque intentio eius non est necessaria ad hunc effectum, licet multum cōferre possit. Secundum est, hominem iustum indigere generali concursu Dei, & communibus auxiliis ad generalem prouidentiam gratiæ, & supernaturalem pertinentibus, vt peccatis possit resistere. Patet, quia non resistitur malis, nisi operando bonum; ad operandum autem quodcumque bonum præter potentiam, est necessaria motio Dei actualis, propter essentialem dependentiam causarum secundarum à prima, vt in lib. 5. late dicendum est.

Hic ergo positis potest quæstio proposita moueri & conclusio vel de singulis peccatis, vel de omnium collectione. Et in priori sensu certum est, nō indigere iustum noua gratia actuali ad singula peccata vitanda præter illam, quæ ad generalem prouidentiam gratiæ spectat. Probat, quia peccatum vitatur operando bonum: potest autem peccator multa bona sigillatim operari cum communi auxilio gratiæ; ergo multo magis iustus. Denique ex dictis in superioribus de obseruatione singulorum præceptorum siue naturalium, siue supernaturalium est hoc manifestum, quia seruando mandata, peccata vitantur: possunt autem singula præcepta quoad singulares actus per commune auxilium seruari, vt visum est; ergo. Atque hæc veritas, licet sub his terminis non explicetur à Patribus, ex doctrina eorum aperte sumitur, & ex Trid. sess. 6. cap. 11. & 13. & canon. 18. & 22. Explicabiturque magis inferius tractando de auxilijs gratiæ, eorumque necessitate post iustificationem. De errore autem Lutheri, qui negat iustos posse vitare aliquod peccatum etiam per gratiam, dicemus infra in lib. 10. cap. 1. Videatur Bellarmin. lib. 4. de Iustificat. c. 15. Valent. tomo 2. disp. 8. quæstione 1. punct. 8. §. 3. Staplet. lib.

Part I.

sexto de Iustificatio. Veg. libro 11. & 12. in Trident.

At vero in posteriori sensu dicendum est, hominem lapsum, etiam sanatum per gratiam sanctificantem, indigere speciali gratiæ auxilio ad vitanda omnia peccata longo tempore. Hæc assertio est certa. Potest autem intelligi de peccatis mortalibus tantum, & sic traditur à Patribus, vbicunque docent, nō posse iustum perseverare in accepta iustitia sine speciali dono, & auxilio gratiæ, vt potissimum tradit August. lib. de Dono persever. per totum, vbi refert Cyprianum, & alios. Idem. serm. 11. de Verb. Apostol. & Hieronym. lib. 3. contra Pelag. Tridentin. dicta sess. 6. cap. 13. & canon. 22. Et hoc attigimus præcedenti libro cap. 26. vbi ostendimus hanc necessitatem oriri ex infirmitate naturæ lapsæ, quam non aufert omnino gratia habitualis, licet culpam debeat. Neque in præfati loco plura de hoc puncto dicimus, quia de dono perseverantiæ infra lib. 10. ex professo tractandum est. Et ibi impugnabimus Pelagium dicentem, gratiam tollere commissa, non vero iuvare ad vitanda sequentia, vt referunt Patres Africani in epistolis ad Innocent. & damnatur in Concilio Mileuitan. cap. 3. Quamvis autem hoc donum perseverandi, vel cauendi omnia peccata longo tempore, magnum & speciale sit, non est tamen extra legem ordinariam gratiæ: multis n. conceditur: & per orationes, & alia media à Deo præstituta obtineri potest, quia Deus non deserit iustum, nisi desideratur ab ipso, vt Concilium Trident. locis citatis docet. Ideoque licet non omnes iusti recipiant hoc auxilium, omnes possunt accipere, quantum est ex parte Dei, vt idem Concilium tradit, & ex illo principio sequitur, latiusque infra in libro 10. de Perseuerant. dicetur. At vero si sermo sit de peccatis venialibus vitandis, multo maior gratia necessaria est iustis, vt diu non cadant leuiter: neque sine caræ speciali privilegio talis gratia alicui cōceditur. Quomodo autem hoc intelligendum sit, in eodem tractatu de perseverantiæ dono commodius dicetur. Ideoque hæc de necessitate gratiæ ad vitanda peccata hoc loco sufficiunt.

Supereft dicendum de medijs, quæ gratiam ipsam, seu salutem promouent, quæ possunt in tria membra distingui: quædam conferunt, seu disponunt ad primam gratiam consequendam, quædam ad illam augendam, quædam denique ad illam perpetuo conseruandam. De primis D. Thomas in dicta quæst. 109. artic. 6. quæstionem mouet, an possit homo sed ad gratiam preparare sine gratia? Circa quam hic solum aduertendum est, duplicem esse primam gratiam, scilicet actuale, & habituale, seu auxiliantem, & formaliter sanctificantem. Et de vtraque potest tractari illa quæst. & in priori sensu cū Semipelagianis disputatur, qui dicebāt, posse hominem per liberum arbitrium se disponere ad consequendū initium gratiæ, & damnati sunt in Concilio Arausicano. Et de hoc puncto dicendum est infra lib. 5. vbi de auxilio sufficiente dicturi sumus. In posteriori vero sensu coincidit cum illa quæstione, an possit homo sine gratia se sufficienter disponere ad remissionem peccati mortalis, quia hoc peccatum non remittitur, nisi per infusionem huiusmodi primæ gratiæ sanctificantis. Et licet hæc quæstio definita iam sit in his, quæ de necessitate gratiæ ad actus supernaturales diximus, quia hæc præparatio nō fit, nisi per hos actus: nihilominus hoc ipsum, id est, præparationem hanc in actibus supernaturalibus positam esse, infra tractando de iustificatione ex professo dicendum est. Nunc sufficiat definitio Concilij Mileuitani, & Tridentini sess. 6. canon. 3. & sequentibus. Et generalis ratio est, quia ad formam supernaturalem præparatio etiam, seu dispositio supernaturalis esse debet.

Ad media promouentia ad salutem quoad augmentum eius, pertinet quæstio, quam D. Thom. in dicta quæst. 109. art. 5. tractat. Nam licet ibi solum de vitæ æternæ quærat, an possit homo eam sine gratia mere-

P p

xeri;

*Ad prome-
rendum gra-
tiæ augmen-
tum gratia
requiritur.*

*Ostenditur
quoad meri-
tum ex opere
operantis.*

*Deinde qua-
ad meritum
ex opere ope-
rans.*

rer; nihilominus eadem quæstio est de augmento gratiæ, quatenus per meritum comparari potest. Et quia merita per bona opera sunt, ideo huc etiam spectat quæstio, quam idem Sanctus Doctor mouet art. 9. quantum ad eam partem, an iustus auxilio gratiæ ad bene operandum indigeat? Vtraque autem quæstio, quantum huic loco necessaria est, iam est definita. Nam ostensum est præcedenti libro, omnia, quæ Concilia, & Patres tradunt de necessitate gratiæ ad bene operandum, de opere meritorio salutis præsertim intelligi. Et hic proxime explicuimus, quomodo auxilio indigeat iustus ad vitandum malum, & consequenter ad faciendum bonum. Cætera vero quæ ad meritum spectant; in ultimo libro huius operis tractanda sunt. Quapropter solum hic superest aduertendum, hoc augmentum salutis dupliciter in nobis fieri, scilicet ex opere operantis, & ex opere operato. Priori modo fit per opera virtutis, quæ aliquo modo supernaturalia esse debent, vt hunc effectum habere possint, ideoque vt talia media sunt, non possunt fieri sine gratia. Posteriori modo fit per sacramenta, quæ in se gratiæ quædam sunt, & vt di-
gna, & fructuose suscipiantur, gratiæ auxilium facit,

vt capite præcedenti explicatum est, ideoque etiam ad hæc media est necessaria gratia.

Denique ad media, quibus gratia conseruatur, pertinet quæstio, quam idem Doctor Sanctus tractat eadem q. art. 10. an iustus indigeat gratia ad perseverandum? Quæ non est distincta à præcedentibus. Nam in gratia perseveratur remouendo contraria, id est, cauendo peccata, & hoc solum ex parte hominis requiritur; & sine auxilio gratiæ non fit. Quia includit obseruantiam tam naturalium, quam supernaturalium præceptorum, de quibus omnibus iam dictum est. At vero ex parte Dei requiritur actio continue gratiam inferens, & conseruans. Quæ actio nihil aliud est, nisi perpetua duratio eiusdem actionis, qua Deus gratiā produxit. Vnde sicut infusio fuit gratia, ita perpetua conseruatio est quædam gratia, licet non distincta, sed eadem continuata ex vi illius legis, quod Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso. Neque aliud de his medijs hic superest dicendum, nam fusio rem de persequen-
rantia munere infra daturi sumus,
vt sæpe promissi.

FINIS LIBRI SECUNDI, et primæ Partis.



INDEX